

Si respondisset idem sentire et secum facere Syllam.

... ad formam concessivam revocans argumentationem: etiamsi quaerentibus Gallis respondisset L. Cassius P. Syllam huius initi contra rem p. sceleris esse participem, valere non debuisse pro crimine, quando facile crederetur illum, quo spem robustiorem Gallis daret, de nobilissimo viro non dubitasse mentiri. Quae ... multum proficiet ad illud, quod negaverat Cassius se comperisse, quid animi Sylla haberet, ut tale genus responsionis absolute purgaverit innocentiam.

Nisi forte veri simile est P. Syllae nomen in § 37. memoria Cassio non fuisse.

... Verisimilia contrahit argumenta per qualitatem personae, quam generis nobilitas inlustrabat, ut se etiam non quaerenti Cassio potuerit offerre nec tamen aliquid ille se dixerit comperisse.

Sed ego in quaestionibus et indiciis non hoc § 39. quaerendum arbitror, num purgetur aliqui, sed num arguatur.

... et perquam exercitata respondendi facultate propositioni accusatoris occurrit non illud spectandum in indiciis, an defensus sit aliqui, sed an nominatus, quoniam videri possit etiam stulta defensio id quod non accusetur velle purgare.

Exclusus hac criminatione Torquatus rursus § 40. in me inruit, me accusat; ait me aliter ac dictum sit, in tabulas publicas rettulisse. O dii immortales! et relicum.